





226. A. L.
F. 12113
N. 11
24
1774, 2
QUESTIONES
QUASDAM
DE

FIDEI COMMISSIS
FAMILIÆ,

PRÆSIDE

*Viro Nobilissimo Amplissimo, Con-
sultissimo atque Excellentissimo*

D. N. JOH. HENRICO
FELTZIO,

J. U. D. & P. P. *Celeb. Capitulique*
Thom. Canon. dignissimo,

SOLENNITER

defendet

Ad Diem 10 Septemb. MDCC XIV.

SEBASTIANUS FRANCISCUS
BONNEAU, Metensis.

ARGENTORATI,

Litteris JOHANNIS PASTORII.

N. 240.



QUÆSTIO I.

*Quid sit fidei commissum
familia?*

Fidei Commissum est ultima voluntatis contestatio qua per interpositam personam verbis obliquis aut precariis vel hereditas vel pars ejus vel res singularis alicui relinquitur. Relinqui autem tale fidei commissum potest, non tantum personis simplicibus seu naturalibus, sed & personis moralibus v. g. Reipublicæ, Universitatibus, Collegiis, & in specie quoque certæ familiæ, de qua, quid sit, impræsentiarum nobis dicendum incumbit. Variæ sunt significationes familiæ, quas ex l. 195.

A 2

de

de *V. S.* haurire licet. Nam & *in res* & *in personas* deducitur. *In res* ut puta in Lege duodecim Tabb. his Verbis: *Agnatus proximus familiam habeto.* Ibi enim familia sumitur probonis seu patrimonio defuncti, hinc & solemnis in Jure nostro titulus actionis, quæ instituitur a cohæredibus ad divisionem rerum hereditariorum faciendam, & actio familiæ eriscundæ, i. e. hereditatis dividendæ appellatur. Ad personas autem referur familiæ significatio, si plures personas, quæ unius potestati aut natura aut jure subjectæ sunt, in unum corpus redactas consideremus. Unde Patrem *familias*, Matrem *familias*, filium *familias*, filiam *familias* appellamus. Corpus quoque servorum familiam constituit *L. 1. in pr. §. 5. ff. de publ. l. 2. vi bonorum raptorum.* Et hos Lex proprio Jure familiam habere dicit. Comuni autem jure familiam dicit *Ulpianus agnatorum.* Nam etsi patre *familias* mortuo singuli singulas *familias* habent,

bent, tamen omnes, qui sub unius potestate fuerunt, recte ejusdem familia appellabuntur, qui ex eadem domo & gente prodierunt, &c. Cum itaque tam plures sint familiae significatus, voluntatis potius quam juris quaestio erit, si familiae fidei commissum relinquatur, qualis sit subintelligenda. Eam enim significationem sequi tenemur, de qua testator probabiliter sensit, probabilissimum autem est, testatorem, dum de familia loquitur cui aliquid restitui cupit, de sua gente sensisse. Et olim quidem jure veteri Romano in talem familiam cognati non veniebant per l. 195. & 196. de V. S. Verum jure novo & novissimo per l. 30. C. de V. S. & Nov. 118. qua cognationes & agnationes confusae, non solum cognatos sed & generum & nürum &c. familiae nomine absolutè posito vocatos esse censeo, nisi qualitas testantis obsit. Est igitur fidei commissum familiae ultima voluntatis contestatio, qua membra familiae vel

expresse vel tacite rogantur, ut familiae vel ejus praecipuis membris vel universales vel singulares res usque ad certum gradum vel in perpetuum restituant, donec certus gradus ille, vel familia extincta. Ex definitione patet Fidei Commissum Familiae esse I. vel Universale vel Particulare; II. Esse vel Expressum vel Tacitum. Universale Fidei comm. duplici rursus sensu capi potest vel ratione objecti vel subjecti. Nam ratione objecti denotatur id, quod hereditatem vel partem ejus restituit, ratione subjecti significatur id, quod toti familiae, quamdiu durat, datum est. Sic & singulare Fideicommissum Familiae denotat ratione objecti rem singularem relictam, ratione vero subjecti significat fideicommissum certis in familia personis seu gradibus relictum. Expressum familiae fideicommissum est, quod expressis verbis relinquitur ejusque tenor hic esse posset: *Rogo heredem meum, ut Familia vel Genti meae hereditatem restituat.* Tacitum est,

est, quod colligitur ex circumstantiis. e.g. Peto ab herede meo, ne res vel pars meæ hereditatis ex familia alienetur. Hoc enim casu censetur heres rogatus rem alienari prohibitam familiæ restituere. III. Possumus ex definitione fideicommissum dividere in Graduale & perpetuum. Illud est quod ad certum gradum usque durat. Hoc est, quod durat, quamdiu familia.

QUÆSTIO II.

An Jus representationis locum habeat in Fideicommissis Familia?

Distinctionem, quam Leges præsertim Nov. 118. circa Jus representationis inter lineam rectam & collateralem introduxerunt ita, ut in illa representatio sit infinita, in hac vero ultra fratrum liberos non extendatur, locum quoque habere in Fidei Commissis Familiæ nullus dubito.

dubito. Uti enim in fidei commissio relicto proximis sub nomine colectivo familiae seu descendentium vel agnatorum vel cognatorum legitimus successiois ordo observatur, ita arctissime cum hoc conjunctum Jus representationis necessario quoque observandum venit. Sic in linea recta Titii nepos cum filio vel ejus pronepos, modo nemo antecedit, cum dicto filio Patri fideicommissum familiae possidenti sine dubio succedet. Sic & non video, cur cum fratre defuncti ultimi possessoris fidei commissarii ex fratre filius in stirpem succedere non possit. *Conf. Struv. Exerc. XXXVI. f. 20. & Autores ibi allegatos.*

Videtur quidem Juri representationis, quoad lineam rectam ob stare, *lex 32. §. ult. de leg. 2.* in qua indistincte tantum primi gradus representationem fieri posse dicitur. Verum missa interpretatione *Fachinat. Lib. 4. contr. cap. 84.* videtur in ista lege aut speciale & a communi jure alienum
Jus

Jus representationis fundatum esse, aut istum textum tantum intelligi de fratrum liberis, uti id amplius in conflictu discutiamus.

QUÆSTIO III.

An in casu, ubi interdictum, ne res extra familiam alienetur, succedatur ordine ab intestato, ita sc. ut ultimi possessoris proximiores præserrantur?

O Primè monet *Struvius Exerc. XXXVI. ad SC. Trebellianum* hanc quæstionem non tam juris quam voluntatis esse, adeoque ex ipsis verbis & circumstantiis mentem Testatoris esse eo colligendam. Sola enim voluntas in fideicommissis spectatur per *leg. 127. ff. de leg. 1.* Hinc etiam duos casus hac in quæstione distinguit. Aut enim hereditatem vel rem singularem *agnato* relinquimus, hac lege, ut in familia permaneat, aut *extraneo* bona damus ea conditione, ut post mortem bo-

B na

na ad familiam redeant. Illo casu, si primus, in quem fideicommissio obnoxia res translata est, moritur hujus proximiores ordine succedendi legitimo observato ad fidei commissum vocandos censet; Hoc casu, proximitatem testatoris ratione temporis quo mortuus fideicommittens, non ejus quo mortuus fideicommissarius attendendam esse arbitratur. De primo casu verba facturo sane videtur voluntas testatoris fuisse, ut in agnati cui fideicommissarii datus est proximiores successio devolvatur. Nam cum eum primum nominaverit, eum, ejusque proximiores præ omnibus dilexisse & per consequens devolutionem juris in ejus proximiores prius voluisse, antequam ad reliquos ex familia fideicommissum perveniat. Hinc *in lege 22. §. ult. de leg. 2.* expresse dicitur, *Infideicommissio, quod familia relinquitur, illos ad petitionem ejus admittendos esse, qui nominati sunt.* Si ergo in nostro casu agnati nominati prius ad successionem vocantur,

cantur, conjectura est agnatos ultimi possessoris proximiores prius esse vocatos, quia in persona agnati nominata censentur magis dilecti. *Post quos omnes extinctos, qui ex nomine defuncti fuerint eo tempore, quo testator moreretur &c.* demum admitti possent per *d. l. 32.* Voluntatem defuncti autem hac ratione negligi dici non potest, cum res ita de persona in personam secundum legitimum succedendi ordinem communi jure stabilitum transferatur & per consequens in familia maneat.

Contra sentientes allegant pro stabilienda sententia sua (1.) jam alleg. *legem 32. ff. de leg. 2.* & pro firmanda sua opinione insuper (2.) urgent, quod in *fideicommissis familia* succedatur fidei committenti non ultimo possessori. Unde ita ratiocinantur: *Ejus, qui succeditur, proximitas attendenda, Atqui Fideicommittenti succeditur, Ergo ejus proximitas attendenda,* hujusque opinionis ait Struvius *Nicolaum Intrigl. de subst. cent. 3.*

n. 1. 78. Gall. II. O. 149. n. 2. Ant. Theff. de c. 64. Fachinæus 4. c. 85. qui majorem probant ex leg. 28. *proxima ff. de suis & legitimis hered.* Urgentque si non succeditur in bonis gravati, cur deberet haberi ratio proximitatis ejus.

Respondetur ad argumentum negando majorem semper veram esse. Ejus cui succeditur *immediatè* proximitas quidem est attendenda, sed ejus, cui *mediatè* succeditur (uti in nostro casu) proximitas non semper observatur. Deinde etiam si major vera esset, limitari posset, nisi ille cui succeditur necessitatem suam proximitatem respiciendi remiserit. Id quod ex dispositione ejus patet, dum proximis exclusis remotiores rogat, ne rem extra familiam alienent. Si ergo ad proximos cognatos fideicommissarius nominatus rem devoluit, satis facit voluntati testatoris *primò* in eo, quod in personam transmittit ex familia, *secundò* in eo, quod in talem personam transmittit,
cujus

cujus pater testatori dilectior fuit, ac reliqui cognati. *Lex vero 32. ff. de legatis 2. à differentibus in medium producta nihil probat, cum de proximitate testatoris aut ultimi possessoris nil in specie ibidem sit decisum, sed tantum dicatur, quod successuri docere debeant, se esse ex illis, aut descendere ab illis, qui tempore mortis testatoris nomē familiae gesserunt.*

QUÆSTIO IV.

An si possessor alienet, proximus in familia possit vindicare?

Non vindicare posse, suadet defectus juris ex parte vindicantis, siquidem proximior tum demum jus persequendi fideicommissum habet, si alienans decesserit, unde quis opinari posset, expectandum esse vindicaturō, donec alienans fideicommissarius vita functus esset, accedit quod viventis nulla sit hereditas, ergo viventi fideicommissario succedere non debet,

debet, unde & per consequens vindicare nondum potest. Præterea dicit posse eum esse expectatuario similem, hic autem tantum jus personale non reale habet.

Verum enimvero, quoniam expressa f. tacita adest prohibitio, ne extra familiam alienetur, ipsum factum alienationis contra voluntatem testatoris factæ alienantem duplici ex capite jure suo privat. Primò quidem, quia rem alienavit, deinde quia id fecit contra voluntatem testatoris, qui fideicommissum familiæ relinquendo aut expresse prohibendo, ne res extra familiam alienetur, omnibus in familia salvo tamen ordine successionis, jus illam alienationem impediendi concessit. Nam omnes in familia jus reale habent ex testamento *arg. l. 64. de furt. l. 80. de leg. 2. l. 1. §. utrum autem, si quid in fraud. cred.* & idcirco proximior, alienatione facta, rem extra familiam alienatam, vindicare potest. In qua opinione eo magis confirmor, quo certius

certius est, testatorem voluisse, eo casu rem ad alium proximorem devolvi, si ultimus possessor rem amplius habere non vult, & idcirco hunc rogasse censeatur velit istam rem non tantum post mortem sed etiam in casu repudiationis proximiori restitueri. Qui autem alienat, similis hoc in casu est repudianti, seu tali, qui voluntatem defuncti implere non cupit, ergo ad substitutos seu fideicommissarios sequentes res fideicommissio obnoxia ipso jure devolvitur vindicationeque locus datur. Ex dictis facile potest quid ad objectiones respondendum sit.

QUÆSTIO V.

An ex fideicommissis familiae

Falcidia aut Trebellianica possit deduci?

Sane secundum communem Jurisprudentiam id videtur, *t. t. f. de fideic. hered. & leg. Falcid.* Cur enim simplices fiduciarii melioris ac alii conditionis esse debe-

debeant, non videtur. Ergo secundum *leg. mulier ff. ad SC. Trebell.* in Fideicommissio Familiae relicto, (quia est in diem seu sub conditione datum,) computabuntur fructus in quartam, & si tot fructus non sunt percepti, quot quartam facerent, supplementum ex ipsis rebus hereditariis capi possit. Imò videtur hæc deductio quartæ in specie privilegiata esse, *arg. l. 6. C. ad SC. Trebell.* ubi liberi rogati, ut fratribus suis restituant, (vides hic fideicommissum familie) hereditatem, jubentur totam quartam ipsius hereditatis, non per imputationem reddituum deducere.

His tamen non impediens opinor nullam detractionem Falcidiae seu Trebellianicæ faciendam esse regulariter, si sc. appareat voluntatem testatoris fuisse, ut semper maneat in familia hereditas aut res relicta, vel si expressè alienatio rei legatæ sit interdicta. Idq; statuimus vigore *Novella 119. Cap. 11. & Auth. C. Sed & in ea ad l. Falcid.* in quibus Falcidiae detraçtio ex eis rebus vetatur, quæ testator alienari prohibuit. Neque tamen hoc ipso Privilegium Zenonianum liberis, qui fratribus iussi sunt restituere, ademptum volumus, utpote quod salva novella superius allegata stare potest.

SPECIMEN TERTIUM,

Circa ætatem promovendorum ad Canonicatus.

DE *Jure Communi, Antiquo* disputabatur inter Interpretes, quænam requireretur ætas ad Canonicatum præsertim Eccl. Cathedralis, qui de illo jure non habet annexum Ordinem sacrum, an major tantum 7. annis, an vero 14. anni ob textus *c. ex eo 32. de elect. in 6. & cap. super 35. de Prab. vid. Pirh. ad tit. X. de. atat. Et qual. Et ord. §. 12.*

Jure vero novo Concilii Tridentini per *sess. 24. c. 12. de Reform.* ad Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium requiritur ætas, quæ ad ordinem annexum necessaria; pro uti nimirum Canonicatus est vel Sacerdotalis vel Diaconalis vel Subdiaconalis. Quod si nulla ordinum distributio per Canonicatus facta reperiat, tunc promovendus ad Canonicatum debet esse saltem in ætate, ut possit intra annum fieri subdiaconus, adeoque debet inchoasse 21. annum

C

quia

quia omnes Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium habent annexum subdiaconatum per *Concil. Trident. d. l.*

Cæterum hoc decretum de annexo Canonicatui subdiaconatu non ubique receptum, sed imò *in* plerisque *Ecclesiis Cathedralibus Germania* non requiri, ut Canonicus sit subdiaconus, nisi velit ingredi Capitulum & in eo vocem activam habere, notat *Pirhing. d. l.* Quod porro Canonicatus Ecclesiarum Collegiatarum etiam insignium attinet, requiritur annus 14. inchoatus per *cap. super 35. X. de prob.* nihil enim hic à *Concil. Trident.* deprehenditur innovatum aut peculiare dispositum.

Jure autem Gallicano, ubi Canonicatus nullum habet sacrum ordinem annexum, ætas legitima ad Canonicatus in Cathedrali est annus 14. in Collegiata vero decimus completi juxta *Reg. Cancellaria 18.* Et hoc ibi multis arrestis receptum & confirmatum probat *Louet in posthuma decret. Collect.*

*Collect. & Scholiastes ejus in Addit. lit. E.
n. 2. Solier ad Lanc. pag. 136.*

SPECIMEN QUARTUM,
*Circa etatem promovendi ad
Episcopatum.*

TUre Canonico communi requiruntur 30, anni; ita enim in Concilio Lateranensi A. C. M CLXXXIX. statutum legimus, *ut nullus in Episcopum eligatur, nisi, qui jam tricesimum etatis annum exegerit, cap. 7. X. de elect.* unde patet, completum esse debere 30. annum, nec sufficere, ut quis eum inceperit.

Jure Gallicano autem 27. annus incipit sufficit ex Concordato de Regia ad Pralaturas nominatione §. 1. Disponitur enim ibi, quod ad Episcopatum nominandus in 27. etatis sua anno ad minus constitutus esse debeat, qualis etiam est, qui 28. annum nondum attigit; quæ in contrarium allegari solent, refutat Rebuff. in not. ad Concord. d. l.

F I N I S.

Sæpius optatum certamen surgit acerbum,
 Quod nunc invadas, ô intime! pectore firmo,
TE TUA magnanimum monstret solertia magna,
 Nostraque victrici redinitum tempora lauro
 Proclamet summis Academia plausibus alma;
 Ast, ut perfausto successu absolvere possis,
 Exopto, toroque lubens **TIBI** pectore grator,
 Hac & amicitias longo post tempore firmant,
 Mansuroque adamante ligent nec mobile murent
 Ingenium magno strepitu nec vincula noxa
 Dissolvi subeant, nec fastidire priorem.
 Multum in amore fides, multum constantia prodest,
 Utque hostes armis, meritis sic vincit amicos;
 Sis animo firmo, caveasque fidem malè firmam.
 Condita vox (a) subeat passim diffusa per aures
 Sæva ne rumpant morrales foedera ferro,
 Sed castam servato fidem fulgentibus ostro.

*Hæc Nobilissimo Domino Respondenti
 amico suo intimo in sincera amicitia
 tesseram apponere voluit*

Claudius Jacobus Demougé,

(a) Scil. fidei.


M. St.



Strassburg, Diss. 1711-15

X 2310583





12113

N^o 22

24

1774, 2

QUÆSTIONES
QUASDAM
DE

FIDEI COMMISSIS
FAMILIÆ,

PRÆSIDE

*Viro Nobilissimo Amplissimo, Con-
sultissimo atque Excellentissimo*

D. N. JOH. HENRICO
FELTZIO,

J. U. D. & P. P. Celeb. Capitulique
Thom. Canon. dignissimo,

SOLENNITER

defendet

Ad Diem 10 Septemb. MDCC XIV.

SEBASTIANUS FRANCISCUS
BONNEAU, Metensis.

ARGENTORATI,
Litteris JOHANNIS PASTORII.

240.

